Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26002
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dum aliis rebus intendimus. fit ut alia negligamus. et ubi negligimus, ibi procul
dubio oculum non habemus. Nam ecce phariseus ad exhibendam abstinentiam. ad im 229
pendendam misericordiam. ad referendas deo gratias oculum habuerat. sed ad humilitatis
custodiam [illegible] non habebat. Et quid prodest quod contra hostium insidias pene tota
ciuitas [...] illa caute custoditur. si unum foramen apertum relinquitur. unde ab hos
tibus in[...]tem [...]tretur. Et publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad celum
leuare. [...] sed percutiebat pectus suum dicens. Deus propicius esto mihi peccatori.
Dico uobis. [...] descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Quantam fiduciam 6
uenie digne penitentibus prebet. quod publicanus qui reatum sue nequitie perfecte
cognouit. fleuit. confessus est. et si iniustus ad templum uenit. iustificatus a templo re
dit. Typice autem phariseus iudaicus est populus qui ex iustificationibus legis extollit me
rita sua. publicanus uero gentilis est. qui longe a deo positus confitetur peccata sua. 7
Quorum unus superbiendo recessit humiliatus. alter lamentando appropinquare me
ruit exaltatus. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur. et qui se humiliat exalta
bitur. Et de utroque populo prelato. et [...] de omni superbo uel humili recte potest intelligi. 8
Sicut et illud quod alibi legimus. [Quia] ante ruinam exaltatur cor. et ante gloriam hu
miliatur. Quapropter et de uerbis elati pharisei quibus humiliari meruit possu
mus ex diuerso formam humilitatis qua sublimemur assumere. ut sicut ille consideratis
et peiorum uitiis. et suis uirtutibus. [...] est elatus ad ruinam. ita nos non nostra solum
pigritia. sed et meliorum uirtutibus inspectis humiliemur ad gloriam. quatenus unus
quisque nostrum hec apud se supplex ac submissus obsecret. Deus omnipotens miserere
supplici tuo. quia non sum sicut innumeri serui tui. contemptu seculi sublimes.
iusticie merito gloriosi. castitatis laude angelici. uelut etiam multi illorum qui
post flagitia publica penitendo tibi meruerunt esse deuoti. Qui etiam si quid boni
tua gratia largientem fecero. quo fine hec faciam. qua ue ante districtione pensentur
ignoro. Afferebant autem ad illum et infantes. ut eos tangeret. Quod cum uiderent
discipuli in[...]crepabant illos. Et hec humilitatis magisterio lectio plena micat.
que uidelicet innocentes ac simplices ad dei gratiam pertingere [...] posse de
monstrat. Increpabant autem offerentes discipuli. non quo nollent [...] infantibus
saluatoris et manu et uoce benedici. sed quo nec dum habentes plenissimam fidem
putarent eum in similitudinem hominum. offerentium importunitate lassari. Ihesus
autem conuocans illos dixit. Sinite pueros uenire ad me. et nolite eos uetare. tali
um est enim regnum dei. Significanter dixit talium non istorum. ut ostenderet non etatem reg
nare. sed mores. et his qui similem haberent innocentiam et simplicitatem premium
repromitti. apostolo quoque in eandem sententiam congruente. Fratres. nolite pueri fieri
sensibus. sed malicia paruuli estote. sensu autem ut perfecti sitis. Amen dico uobis.
quicumque non acceperit regnum dei sicut puer. non intrabit in illud. Sicut puer non perseue
rat in iracundia. non lesus meminit. non uidens pulchram mulierem delectatur.